DE

GANGRAENA NOSOCOMIALI

IN VULNERIBUS SCLOPETARIIS ADDITIS MORBI HISTORIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE VIII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS SCHOEPPE,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

E. RAABE, DR. MED.

B. SCHOENEMANN, DRD. MED.

H. SCHOLZ, DR. MED.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXVII.

Gangraena nosocomialis ab medio demum saeculo praeterito accuratius observata et descripta est; tamen prius eam non exstitisse, haud quamquam ex eo suspicandum est, quod antea in universum modo de gangraenis dictum est sine ullo formarum gangraenae discrimine. Remedia caustica frequenter applicata, praesertim ferrum candens applicatum, quo Hippocrates, Galenus in vulneribus utebantur, probabile faciunt, gangraenam nosocomialem iam illis temporibus grassatam esse. Ambr. Paré hunc terribilem morbum primus cognovit, qui vulneratos infestavit, in urbis Rotomagi obsidione, ubi hanc gangraenae formam inter vulneratos et obsidentium et oppugnantium ita vehementer saevientem vidit, ut utraque pars arma ab adversariis veneno infecta esse criminaretur.

Postquam Pouteau (oeuvres posthumes 1783) gangraenam nosoc. accuratius descripsit, huius morbi mentionem alii quoque observatores fecerunt, e quibus Ollivier, Delpech, Brugmans, Blaccadder, Hennen, Larrey etc. Delpech, qui duas formas gangraenae nosoc. distinguit, in nosocomio St. Eloi in 150 militibus, qui apud Pampelonam vulnerati erant, hunc vehementissime saevientem morbum videndi occasionem habuit; Hennen, Anglicus medicus militaris bello Hispanico in urbe Bilbao (1813), Brugmans post pugnas apud Ligny et Waterloo commissas hanc gangraenam observavit; ex quibus observationibus elucet, gangraenam nosoc. omnibus a Napoleone I. gestis bellis in nosocomiis omnium nationum grassatam esse.

Etiam in expeditione Algerica Baudens hanc gangraenam observavit. In bello, quod in Chersoneso Taurica 1854 gestum est, gangraena nosoc. et in nosocomiis et in navibus vehementissime grassata est, ita ut multo plures milites hoc morbo quam armis sclopetariis morerentur.

In bello Italico 1859 Demme in singulis nosocomiis, praesertim in nosocomio St. Francisci, in urbe Mediolano sito, hunc vehementissime saevientem morbum observavit. Proximo quoque bello, quod Borussi contra Austriacos feliciter gesserunt, in nonnullis nosocomiis gangraena nosoc. observata est; quam ob rem Pirogoff summo iure dicit, „quodque bellum epidemiam traumaticam haberi posse“ [1]).

Me quidem ad gangraenam nosoc. describendam permovit occasio praebita, gangraenam nosoc. in nosocomio Demminensi militari observandi, et occasio applicandi Kali hypermanganicum, quod a multis auctoribus commendatum est et quod nobis ad vulnera sananda plane suffecit.

Aetiologia. De causis gangraenae nosocomialis etiamnunc dissentitur. Auctorum pars causam ponunt in quibusdam tempestatis conditionibus, quas ad efficiendum morbum aptissimas putant. Ut Dussaussay aestivis ait mensibus gangraenam nosoc. longissime manare, Percy contra frigidum anni tempus efficacius esse [2]).

Inter recentiores auctores Demme, quamquam in bello Italico a. 1859 hunc morbum aestuosissimis mensis Quinctilis diebus exortum esse observavit, tamen proprius accedit ad sententiam Nelatonis: „gangraenam nosoc. omnibus et anni temporibus et tempestatibus exsistere“ [3]).

---

1) Pirogoff, Kriegschirurgie. Leipzig 1864. p. 27.

2) Vid. Militär-Chirurg. Studien von Dr. H. Demme. p. 182. Würzburg 1863. Charité-Annalen von Dr. Fischer. p. 16. t. XIII.

3) Element. de path. chir. t. I. p. 155.

Longius etiam procedens Eisenmann: „typhosa, inquit, aëris constitutione et febris typhosae contagio potest in omni vulnere infectio typhosa effici, unde typhus traumaticus nascitur; quin etiam hoc non negligendum est, typhosa aëris constitutione minus forte quam quae hominibus pro portione validis noceat, in vulneratis typhosum illum processum effici“ [4]).

Similiter videtur sentire Pitha, qui gangraenam nosoc. censet una cum epidemiis, ut typho, febri puerperali, dysenteria, scarlatina, praecipue cholera, exsistere solere. Quo posito huic morbo epidemiae cuiusdam natura tribuitur, qua ille dicit et exsudativos processus proferri et exsudata, septico quodam charactere affecta, pestiferas fieri [5]).

Quum igitur Pitha gangraenam nosoc. generi morqorum adnumeret eidem cum typho, cholera, aliis, non negat esse contagiosam, nisus Begini verbis, „gangraenam nosoc. contagiosom esse pariter ac typhum, febrem malariam, dysenteriam, non vero ita ut scabiem, syphilidem, variolas, quum, si ita esset, huius morbi aliquando exorti non posset finis fieri, praecipue in nosocomiis, in quibus semper alii vulnerati dimissis succederent“ [6]).

Pirogoff quidem de natura gangraenae nosoc. a Pitha dissentiens tamen concedit, bellicis temporibus gangraenam nosoc. semper fere una cum typho, pyaemia, cholera exsistere [7]). Causam eius minus remotam, quam volunt Pitha et Eisenmann, affert; quaerit enim causam in ipsis potius nosocomiis, in iisque, qui ibi morantur, hominibus; qua in re et alii auctores cum

---

4) Die Wundfieber und die Kindbettfieber von Dr. Eisenmann. p. 94. Erlangen 1837.

5) Prager Vierteljahrsschrift. 1851. p. 78.

6) Ibidem p. 87.

7) Pirogoff, Kriegschirurgie. Leipzig 1864. p. 1023. Göschen, Deutsche Klinik. Jahrg. 1856. p. 271. (Zur Aetiologie des Hospitalbrandes von Dr. Fock.)

Pirogoff consentiunt, inter quos Stromeyer et Demme.

Qui quidem sine ulla dissensione causam ponunt in maiori aegrotorum frequentia, infausto situ nosocomii, maligno aëre, immunditia, falsa curatione, aliis. Nec falso hoc ponitur, quum compluribus harum rerum coniunctis miasma effici necesse sit vulneribus suppurantibus maxime pestiferum.

Optimo igitur iure Stromeyer: „Gangraena, inquit, nosocomialis foedissima forma est eius generis morborum, qui in nosocomiis supra modum impletis vel diutius continue adhibitis inveniuntur, quae vel levissima vulnera suppurantia gravissima reddere, nec fixum solum contagium, sed etiam volatile, quod e longinquo quoque nocere potest, efficere soleat“ [8]).

Idem non multo post pergit „praecipue homines esse sclopetariis aliisque immundis vulneribus affectos, in quos in unum locum confertos causis nondum satis exquisitis gangraena nosoc. irruat“ [9]).

Pariter Pirogoff in nosocomiorum conclavibus etiam magnis amplisque, et summa munditiae cura adhibita per paulum modo temporis conditiones illas ad valetudinem bonas retineri contendit. „Ubi enim omnes lecti a vulneratis et suppurantia vulnera gerentibus hominibus occupati sint, mira celeritate excieri erysipelas traumaticum, oedemata purulenta, pyaemias“ [10]).

Quam ad sententiam probandam affert nobilitatis Sebastopolitanae conventiculum, ubi a. 1854 multitudine hominum vulneratorum inter obsidionem urbis receptorum factum esse, ut paulo post receptionem pyaemia et gangraena exorirentur. Quam noxia sit nimia in nosocomiis frequentia aegrotorum in diffusione gangraenae nosoc. ex hac observatione Richerandi intelligi potest. Is

---

8) Stromeyer, Maximen der Kriegsheilkunst. Hannover 1861. p. 238.

9) Ibid. 239.

10) Pirogoff, Kriegschirurgie. p. 11.

enim refert, Parisiis a. 1814, quum in nosocomio St. Ludovici, quod ad aegrotos 1200 recipiendos instructum esset, vulnerati 1900 recepti essent, gangraenam nosoc. tam vehementer exstitisse, ut circiter 500 perirent[11]).

At auctores, quos proxime nominavimus, non tantum nimium numerum vulneratorum efficacissimum esse ad eliciendam gangraenam nosoc. arbitrantur, sed etiam contendunt, in locis per longum tempus nullo tempore intermisso ab aegrotis occupatis morbum exoriri posse[12]), quamquam summa in nosocomiis cura diligentiaque in prohibenda infectione collocatur. Quod ad illustrandum Demme nosocomium Mediolanense St. Francisci adhibet, quo, antequam in usum aegrotorum instructum est, milites Austriaci pro castris usi fuerant, quodque aedificium ab iis, proelio apud Magentam devictis, foedissimo habitu relictum erat[13]).

Hac autem majore aegrotorum frequentia non minus noxia est, sed etiam majoris momenti ad efficiendam gangraenam nosoc. infausta natura loci, ubi situm est nosocomium, et latrinae proximae, quae malis pestiferisque vaporibus aërem inficiunt; itemque, ut Pirogoff vult, vicinia fluminum ac stagnorum, quibus necessaria in nosocomiis siccitas prohibeatur, ad eliciendum morbum efficacissima est. Humore autem ex fluminibus exhalato et inde per nosocomium diffuso curatio impedita in longum differtur, saepe plane repellitur.

Alia porro causa exoriundae ac longius propagandae inter vulneratos gangraenae nosoc. gravissima olim erat in ipsa therapia male negligenterque adhibita, praecipue in unguentis et emplastris creberrime adhibitis. Cuius modi curatione pus prohibitum excedere necesse erat, stagnare, eaque re in dissolutiones transire, ipsis vulneribus maxime noxias. Nostra autem aetate therapia aliam

---

11) Demme, Milit. Chirurg. Studien, p. 182.

12) vid. Stromeyer, p. 239.

13) vid. Demme, p. 182.

viam ingressa est; et unguenta et emplastra principum medicorum auctoritate iam non adhibita, in cistis modo famulorum nosocomialium etiamnunc ista inveniuntur, quod omnino difficile eo ducuntur, ut abiectis opinionibus praeiudicatis meliora sequantur. Quod si non esset, rarius certe gangraena nosoc. exsisteret.

Quam ob rem non possumus non sequi sententiam Stromeyeri, quam pronuntiavit his verbis: quod „nostris diebus gangraena nosoc. minus sape quam antea exsistit, magna ex parte debetur huic rei, quod nunc vulnera et ulcera cataplasmatis potius quam linteis acribusque unguentis curari solent; qua re secreta multo celerius removentur, quum antea spatio diei semel tantum removerentur" [14]).

Quod attinet ad meam de causis gangraenae nosoc. sententiam, tantum abest, ut auctorum, quos nominavimus, cuiquam ausim obiicere, eum plane falsa ac prava sensisse, ut contra observationibus a me ipso in nosocomio militari Demminensi factis cogar assentiri et iis, qui in nosocomiis nimis impletis gravissimam causam morbi posuerunt, et iis, quorum iudicio hic morbus una cum cholera aliisque epidemiis exsistit. Ceterum, ne temere agam, ab omnibus iudiciis abstinere optimum puto, secutus Pitham, qui similibus verbis negat velle, sese iudicia sua pro certis haberi [15]).

Attamen liceat mihi exponere, quae de hoc morbo a me ipso observata sunt. Primi vulnerati die 10. mens. Iul. in nosocomium delati sunt; 25. Iuli medicus militaris, qui usque ad illud tempus vulneratos curaverat, revocatus est atque nosocomium gubernandum Ill. Grohe mandatum est, quo dirigente ego medici auxiliarii functiones exercui. Ac primum quidem quod maior aegrotorum frequentia gravissima causa proferendae gangraenae nosoc. putatur, videtur mihi haec sententia iis, quae ipse obser-

---

14) vid. Stromeyer, p. 241.

15) vid. Prager Vierteljahrsschrift 1851, p. 88.

vavi, probari. In quodam enim conclavi (No 18) nosocomii 22 vulnerati conferti erant, quorum partim manus, partim pedes percussi diuturnis suppurationibus subiecti erant atque immunda discissaque vulnera lente tantum curari poterant. Inter quos vulneratos unus iam ante adventum meum gangraena perierat, in altero (Müller I.), cuius lectus non longe ab illo aberat, gangraena iam cutem, textus cellulosos, fasciam peremerat, in tertio (Raschel III.) superficies vulneris, quod iam optimo successu curari coeptum erat, cano atque luteolo indumento tenaciter adhaerente tegebatur. In ceteris quoque vulneratis, etsi non ipsa accedebat gangraena, tamen ob miasma illud per conclave diffusum vulnerum vel levissimorum curatio multum temporis requirebat[16]). Pariter et minora conclavia ita referta erant, ut, ubi vix 3—4 aegrotis satis spatii erat, ibi essent 6—8.

Quod ad curationem attinet, in omnibus vulneribus plumasseolae unguentis oblitae imponebantur neglectis cataplasmatis, quibus solis futurum fuisset, ut, id quod summi momenti est, multo celerius secreta removerentur.

Haec incommoda augebantur etiam eo, quod uno eodemque siphone, stanno parato, omnia vulnera nullis exceptis eluebantur et quod paucae spongiae ad vulnera cunctorum aegrotorum purganda adhibebantur, quarum in poris pus et ichorem esse collecta apparet[17]); quare nimirum evenit, ut contagio inde a vulneribus praecipue gangraena noscoc. affectis in alia vulnera translato morbus ille longius proferretur. Accedit, quod remota a vulneribus lintea, quamvis pure atque ichore impleta, tamen non statim ex conclavibus proiiciebantur, sed in vasa sputi et in angulos conclavium coniiciebantur, ut esset seminarium quoddam miasmatum, unde recens

---

16) Göschen, Deutsche Klinik, Jahrg. 1856, pag. 271.

17) Vid. Pirogoff p. 22. Vorträge über Schusswunden der Professoren zu Paris. Deutsch von Dr. Wierrer. Sulzbach 1849. T. II, p. 198.

semper materia gangraenae nosocomiali praebebatur. Hanc famulorum nosocomialium et aegrotorum malam consuetudinem saepe a nobis animadversam singulari diligentia et severitate impugnavimus et curavimus, ut semper linamenta pure et ichore impraegnata statim ex conclavibus iacerentur in vasa extrinsecus posita, quae, calcaria chlorata impleta etiam modo eluta sunt.

Quibus rebus aërem necesse erat in conclavibus depravari, praesertim quum custodes civiles malam consuetudinem claudendarum fenestrarum haberent, ventum vitaturi.

Qua in re summam ponebant curam vulnerati milites Italici. Ubi enim cibum meridionalem sumpsere, quó melius ad quietem hoc diei tempore solitam sese dare possent, nullo externo rumore offensi, omnia conclavis foramina diligentissime claudebant; neque mediocrem puto hanc causam fuisse, ut tres ex illis gangraena nosoc. afficerentur.

Haec depravatio aëris etiam augebatur eo, quod leviter vulneratorum multi foedo herbae nicotianae genere utebantur itaque conclavia noxiis vaporibus implebant; qua ex re facile intelligi potest, aërem in conclavibus purissimum esse non potuisse, ita ut Brugmans iure dicit, in conclavibus, ubi homines grangraena nosoc. affecti cubent, oxygenium non mediocriter imminui, acidum carbonicum et nitrogenium valde augeri.

Quod ad causam externam pertinet, non minus valebat ad depravandum aërem vicinia latrinarum, unde praecipue nocte per apertas prothyrorum fenestras foedissimi vapores in interiores partes nosocomii intrabant. Accedit, quod ante nostrum adventum in foveam cinerosam proxime nosocomio sitam vasa pure impleta effundebantur et linamenta iaciebantur. Ad hoc malum vitandum cupam posuimus, in quam calcaria chlorata fundebatur; atque latrinae singulas per noctes stercore remoto purgatae sunt. Ita haec nocendi vis extrinsecus accedens, ut eventus docuit, ad aegrotum salutem sublata est; et tempus haud parvum praeterlapsum est, antequam

alius vulneratus a gangraena nosoc. arreptus est (Fritsch V.), qui cum altero eodem morto affecto concubuit (Helzel IV.).

Sed minus etiam diligentiae ad conservandam inter ipsos aegrotos munditiam adhibebatur; statutum enim erat, per quatuordecim dies continuos indusia eadem geri, priusquam aliis mutarentur. Quo factum est, ut vestimenta illa multo squalore multisque locis pure atque ichore obtecta essent; minime munditia et vires aegrotorum balneis adhibendis adiuvabantur; ne aderant quidem primo tempore res ad hoc maxime necessariae.

Iam videtur mihi dicendum esse de situ nosocomii, quo ad id temporis equites (Ulanen) usi erant pro castris. Exterior quidem pars huius aedificii gratum adspectum praebebat, conclavia autem diuturno equitum usu ita foedata erant, ut in parietibus squalor accumulatus esset itemque in foraminibus negligenter adhibito igni in solo inustis permultum inveniretur squaloris. Nihil factum erat, quo haec incommoda emendarentur, nec squalor remotus, nec desinfectio adhibita, ut haud meliori esset habitu quam nosocomium illud Mediolanense, cuius supra mentionem fecimus.

Nec minus fortasse perniciosa fuit natura loci. Proxime enim aversam partem aedificii Panis flumen praeterfluit; adversa pars in vium spectabat, et quidem situs erat is, ut, ubi plueret, id quod tunc temporis satis saepe evenit, aqua de via in nosocomium versus deflueret. Quam ob causam conclavia eius nimirum optanda siccitate carebant. Praeter tertium latus aedificii via ferebat non lapidibus strata, ubi locis quibusdam aqua pluvia stagnabat, nonnullis locis stercus iacebat, unde effluvia necesse erat diffundi nocentissima. Quibus ex rebus facile intelligitur, neque habitum ipsius nosocomii neque naturam loci faustam fuisse.

Ut iam transeamus ad tempestates, quibus, ut supra diximus, vetustiores observatores, inter quos Brugmans, Dussaussey, Gerson, Boyer, vim in hoc genere permagnam tribuunt, non possum equidem illis assentiri.

quod observationibus a me ipso factis probari mihi videtur potius **Nelatonis** sententia, gangraenam nosoc. omnibus anni temporibus omnibusque tempestatibus exsistere. Quamquam enim ultimis diebus mensis Quinctilis coelum serenissimum ac tempestas gratissima erat, inente mense Augusto saepe procellae et imbres, tamen pro statu vulnerum nec haec nec illa forma tempestatis vim mihi videbatur ad eliciendam et augendam gangraenam nosoc. habere permagnam, quod mutata tempestate non pariter commutabatur habitus vulnerum.

Graviorem puto esse sententiam **Pithae**, gangraenam nosoc. solere una cum typho, cholera, aliis epidemiis exsistere. Ad hoc congruit, quod et tunc temporis, quum mihi facultas data erat observandi huius morbi, et in eadem urbe (Demmin) cholera vehementissime grassabatur, ita ut mense Quinctili 73%, Augusto 57%, Septembri 50% morerentur. Qua re autem fieret, ut duo hi morbi uno eodemque tempore grassarentur et num omnino invicem relationibus coniuncti essent necne, mihi non contigit explorare. Inter vulneratos quidem, qui in nosocomio erant, nemo cholera afficiebatur.

Unus modo ex ministris, quo tempore gangraena iam fere oppressa erat, extra nosocomium domi suae cholera periit, postquam usque ad vesperam praeteriti diei muneribus suis in nosocomio functus solito minus bene valens domum sese contulerat.

Quod autem gangraena nosoc. inter vulneratos conclavibus seiunctos saeviebat, eorum contra, qui in eodem conclavi versabantur, parti parcebat, sententia illa **Pithae**, gangraenam nosoc. pariter atque choleram contagiosam esse, quamquam symptomata quaedam cholerae simillima ut imprimis diarrhoea exstabant, nec plane probatur nec prorsus refellitur.

Symptomatologia. Iam transeamus ad phaenomena, quae cum gangraena nosoc. coniuncta esse solent. Ac primum quidem inquiramus in propriam ejus naturam.

Delpech quidem vult hunc morbum esse degenerationem atque dissolutionem partium mollium; qua re

hae ita descrescunt, ut ne conspiciantur quidem telarum elementa, quoniam in foetidam quandam gelatinam omnes partes commutatae sunt.

Idem Delpech primus pro exteriori morbi specie gangraenae nosoc. duas formas distinxit, pulposam et ulcerosam; quam distinguendi rationem Demme et Pitha secuti sunt, e quibus hic pro portione dissolutionis pulposae formae nomen ulcerationis profundae, ulcerosae superficialis ulcerationis imposuit.

Quarum formarum utraque potest in alteram transgredi, ut in uno eodemque aegroto, quin etiam in eodem vulnere simul utraque forma cernatur.

Pulposa illa forma gangraenae nosoc., quam Pitha phagedaenam profundam dicit[18]) eo agnoscitur, quod in superficie vulneris cana cuticula tenera exoritur, quae tamquam tela mucosa suppurantem superficiem obtegit tam tenaciter adhaerens, ut non possit detrahi. Tum haec cana et semipellucida pseudomembrana magis in altitudinem extenditur et mollior facta tumet in speciem pulticulae cuiusdam. Postremo succubantes telas dissolvens in profundum magis procedit, ut cutis, aponeuroses, musculi, nervi deleantur, vasa arrodantur, ne ossa quidem integra maneant.

Ulcerosa autem forma, a Pitha phagedaena superficialis dicta, efficit subito in munda superficie vulneris leves excoriationes ovales, cana aut pulla massa obductas, quae non possunt elui. Erosiones aut lacunae in omnes directiones extenduntur aut inter se confluunt, qua re ex superficie vulneris ante munda immundum ulcus cani coloris efficitur, multo maius quam ante spatium occupans. Rubri et elati margines gravem dolorem efficientes, circumdant recentiorem superficiem vulneris. Quod haec ulcerosa forma gangraenae plerumque cutem solum et subcutaneas telas coniuntivales dissolvit, recte Pitha phagedaenam dixit superficialem.

Praeter has duas formas gangraenae nosoc., quam

18) Vid. Göschen, Deutsche Klinik. 1856. pag. 270.

distinctionem omnes fere observatores secuti sunt, Pirogoff 5—6 alias posuit pro variis mutationibus superficiei vulneris et extensione et haemorrhagia, quae tamen facile ad duas illas formas referuntur.

Huius actionis dissolvendi, si corporis constitutio valida neque infectio gravior est, facile potest finis fieri. Quo facto necroticae partes decidunt et sanatio incipit. Saepe autem exsistunt recidiva, quibus cicatrix celeriter rursus diripitur.

Iam quum singulas formas breviter descripserimus, accuratius inquiramus ea phaenomena, quae in superficie vulneris et in locis circumdantibus apparent.

Ubi rubor superficiei vulneris evanuit, succedit color pallidus aut canus aut violaceus; granulationes sunt flaccidae et tenui et cano indumento obducuntur, quod vulneri affert speciem quandam sordidam nec lavando removeri potest; potius crassatum totam vulneris superficiem velat. Purulentum autem eius secretum in tenuem et squalidum ichorem mutatur.

Similiter Stromeyer[19]) adspectum vulneris describit his verbis: „Dum in leviori statu permanet, vulnus tectum est pileo, quod ex necroticis textibus et fibrinosis exsudatis constans in superficie sepsi continuo decrescit, in circuitu et introrsum usque accrescit."

Vulnere sic mutato aegroti doloribus vexantur et vel levi contactu illius partis corporis dolorem percipiunt, eo potissimum, quod illud pus in ichorem mutatum corrosiva quadam natura superficiem vulneris laedit. Ichor enim in omnia interspatia telarum invadens efficit, ut telae et vulnerum margines oedemate tumescant.

Dissolutio igitur non modo in profundum procedit, sed etiam in latitudinem; subruti margines serrato ambitu circumdantur, rubescunt et facile in iis dolor excitatur; vicinae partes multo ichore secreto magis magisque

---

19) Vid. Stromeyer 238. Vorträge über Schusswunden der Professoren zu Paris. Deutsch von Dr. Wierrer. Sulzbach 1849. T. 1, p. 171—186.

subruuntur, ut superficies vulneris principio parva mirum quantum extendatur. Odor secreti ichoris proprius et taediosus, ut non dubitem credere auctori Brugmans, qui affirmat, se posse ex ipso solo specifico odore gangraenam nosoc. cognoscere. Remotis partibus necroticis imum ulceris est rubrum, hyperaemicum, laeve.

Sin autem destructio illa in profundum et latitudinem pergere non prohibetur, praebet in dies foedius ac terribilius spectaculum, quod praesertim in forma pulposa cernitur.

Vulneris fundus et margines et partes circumdantes, quin etiam ipsum membrum subito tumescunt, celerrime ulcus increscit, lividae granulationes tumefactae obducuntur indumento cano, sordido, fungoso; elati margines in circuitu rubri summa sensibilitate afficiuntur. Margines ingentibus infiltrationibus subruti magis magisque destruuntur et magnos formant sinus; oedema cernitur per totum vulnus diffusum, in vicinis partibus erysipelas, rubor cutis. In vasa lymphatica videlicet inflammatio progreditur; qua re vasa lymphatica apparent funiculi duri, dolentes.

Canum illud indumentum, cuius supra mentionem fecimus, secreta vulneris retinens in imo vulnere format adhaerentem membranam, quae proinde ac siccitas eius augetur, mollior facta postremo in nigram pulticulam convertitur et ultro inde seiungitur. Qua re telae coniunctivales, fasciae delentur, musculi, tendines, vasa, nervi quasi praeparata apparent; quin etiam ossa aperiuntur et amitttunt vigorem; quoniam autem minus celeriter decidunt, nimirum tardant curationem vulneris et efficiunt saepe recidiva, quod facile infectio exsistere potest.

Haemorrhagiae arrosionibus vasorum excitatae eo periculosiores sunt, quo longibus a vulnere vas longe extensa ichoris infiltratione arroditur, quod styptica in vulnus applicata aut parvae aut nullius utilitatis sunt et ligatura in ipso vulnere fieri non potest.

Sin autem huius destructionis fine facto necrotica

detrusa sunt et affectae vires aegroti sufficiunt, diligenti tractatione vulnus, quamquam multum iacturae fuerit, celeriter sanatur.

Has mutationes superficiei vulneris priores observatores omnes habuerunt proprias gangraenae nosoc.; de natura morbi dissentiebant. Ex Eisenmann[20]) comperimus, Dussaussay primum his mutationibus vulnerum nomen imposuisse gangraenae nosocomialis, Ollivier eundem morbum in numerum febrium typhosarum retulisse, itaque diphtheritidem quandam habuisse. Recentiori tempore Virchow similitudinem diphtheritidis membranae mucosae et gangraenae nosoc. accuratius explicavit, quod in utroque morbo solida et sicca massa exsistit, qua necrosis telarum efficitur. Pirogoff quoque ex obductionibus cadaverum cholera affectorum membranam mucosam escharis tectam intestini crassi superficiei vulneris gangraena nosoc. affectae non esse dissimilem cognovit[21]). Ego quoque quum in nosocomio militari urbis Demmin gangraenam nosoc. primum vidissem, negare nequeo, me similitudine cani fixique indumenti superficiei vulneris vulnerati cuiusdam (Raschel III.) cum indumento diphtheritico tonsillarum adolescentis cuiusdam (qui officinam promercalium petasorum exercet) in clinico Ill. Mosler tractati commotum esse.

Quibus cum commutationibus superficiei vulneris communes quoque species apparent secundum extensionem et progressum gangraenae nosoc.

Quum destructio progrediatur, etiam nervos affici et praecipue ichore corrosivo tamquam aduri apparet, ita ut auctore Eisenmann milites maxima constantia in alligando dolores perferre non possint. Quidam etiam convulsiones et tetanum doloribus excitari animadverterunt; cordis palpitationes sudoremque ipse vidi maxime in vulneribus purificandis. Tactus minimus vulneris gravissimum dolorem adduxit, qui vulnere iam alligato per plures horas duravit et paullatim demum evanuit.

20) Dr. Eisenmann, Wundfieber. Erlangen 1837. p. 94.
21) Vid. Pirogoff, p. 1029.

Exempli gratia vulneratum quendum (Oberretter II.) inter purificationem vulneris graviter lamentatum et nervo peron. superf. supprimendo dolores pedis vincere conantem vidi. Alius vulneratus (Raschel III.), doloribus cruciatus brachiis fulcro lecti innisus est.

Qui dolores omnino tamdiu duraverunt, donec massae necroticae remotae erant et suppuratio bona facta est, ita ut Pirogoff merito contendat, dolores cum putrescentiae adventu non raro evanescere[22]). Doloribus gravibus aegrotos irritabiles factos eosque somno privatos esse in aperto est.

Quod pertinet ad phaenomena gastrica, nunquam fere deerant. Appetitus cibi evanuit, lingua indumento crasso subalboque tecta erat, regio epigastrica et ileocoecalis pressionem externam graviter tulerunt. Sitis valde aucta erat, ita ut aegrotis potus acidis mixti praeberentur necesse esset. Diarrhoeae valde tenaces erant, quibus rebus factum est, ut aegrotorum vires consumerentur, ipsi celeriter pallidi atque anaemici fierent. Quum vero vulnus sanaretur, haec signa evanuerunt et aegrotus mox appetitu bono gavisus est.

Febris vulneris commutationibus vel antecessit vel eas comitata est; in casibus intensioribus vasa sanguinifera valde irritata erant, quae res siti magna, lingua arida et alba et temperatura cutis aucta conspiciebantur. In formis extensis gangraenae nosoc. insomnia, gravissimi capitis dolores, deliria nunquam fere defuerunt. Febris remissiones matutinas ostendit et exacerbationes vespertinas.

Quibuscum symptomatis etiam irritabilitas nervosa coniuncta erat, ita ut aegroti iam ante purificationem et ante alligaturam vulneris lamentarentur et suspirarent. Qua irritabilitate aucta et diarrhoeis profusis et insomnia vires aegrotorum valde exhaustae sunt, ita ut, quum morbum feliciter devicissent, debilem et anaemicum adspectum praeberent.

---

22) Vid. Pirogoff. p. 1027.

Urina nulla nisi signa urinae febrilis ostendit; albummen vel fellis signa non inveniebantur, Nec magis color ictericus cutis animadvertebatur.

Quum vero processus gangraenae nosoc. parvus est, phaenomena supra dicta non adsunt, ita ut saepe superficialis destructio cutis gangraena nosoc. sine febri decurrere possit.

Prognosis et exitus. Omnes fere auctores gangraenae nosoc. prognosin infaustam constituunt. Stromeyer directo dicit, si aegroti in iisdem conditionibus versarentur, in quibus a gangraena nosoc. afficerentur, eorum partem fere tertiam misere perire[23]).

Multo infaustiorem prae aegrotorum numero mortuorum numerum in nosocomio St. Francisci fuisse Demme observavit; quo loco ex 31 vulneratis, qui intra mensis spatium a gangraena nosoc. affecti sunt, 25 mortui sunt, unus solus convaluit, quinque in defatigationem chronicam lapsi sunt, ita ut 80 % morerentur. In nosocomiis Constantinopolitanis, Pera, Monte Pessulano etc. 40 % et 60 % moriebantur. Epidemia a Pitha descripta centenorum aegrotorum duodetricini perierunt[24]).

Prognosis autem hanc ob rem infausta est, quod gangraenae nosoc. exitus non praevideri potest et quod etiam casus levissimi brevi tempore elapso gravissimi fieri possunt, praesertim quum secundaria phaenomena accedunt, quibus aegrotorum vita in discrimen adducitur.

Prognosis igitur gangraenae formae et propagationi et aegrotorum personis subiecta est. Itaque periculosissima est gangraenae nosoc. forma pulposa, quia destructiones per omnes dimensiones efficiuntur, ichor copiose secretus partes vulneri vicinas valde infiltrat, vi corrosiva vasa adurit, propterea magnas haemorrhagias efficit, quibus aegroti virium iactura iam defatigati in mortis discrimen duci possunt.

In destructione diffusa etiam diarrhoeae profusae

---

23) Vid. Stromeyer. p. 239.

24) Vid. Demme. p. 199. t. I.

non negligendae sunt, quibus aegrotorum vires in discrimen haud parvum ducuntur; neque minus est negligenda febris et irritabilitas nervosa aegrotorum. Si secretum icherosum resorbetur, metastases in pulmonibus et septichaemia fiunt, aegroti mortem paene nullo modo effugere possunt. Sin autem superficies quoque vulneris necroticis massis omnino liberata est et ad sanationem inclinat, tum quoque aegrotorum vita repetitis recidivis periculo omnino non caret.

Forma autem ulcerosa non tam periculosa est quam pulposa, quum quod destructio magis in textus superficiales incidit neque pariter in profundum progreditur atque in pulposa forma, tum quod vires febri gravissima et irritabilitate nervosa non item exhauriuntur.

Prognosis autem infausta etiam constitutione mala hominum vulneratorum gangraena nosoc. infectorum efficitur.

Nam quo maior natu aegrotus est, quo est imbecillior, magis cachecticus, quo magis tuberculosus ante gangraenam nosoc. exorientem, eo magis intensivus erit processus destructionis vulneris superficiei atque eo certior exitus letalis imminet.

Sin autem aegrotus est iuvenis, si nulla eiusmodi phaenomena ostendit, quorum supra mentionem fecimus, si telarum massis e vulnere remotis nulla recidiva se praebent, prognosis non prorsus infausta fiat necesse est. Hominem vulneratum, in quo diffusa forma pulposa femoris broncho-pneumonia, deliria exstiterunt, ut eius vita in discrimine esset, tamen, omnibus necroticis massis remotis et pneumonia eodem modo intermittente, ad sanationem pervenire vidimus, quum vulneratus ex nosocomii conclavi, in quo gangraena nosoc. affectus est, in clarum, hilare, aëre satis impletum transportatus esset.

De diuturnitate gangraenae nosoc. nihil certi commemoratum invenimus, neque id facile fieri potuit, quia gangraena nosoc. imprimis ad recidiva inclinat, ut de eius exitu nihil pro certo praedici possit. Pitha gangraenae nosoc. diuturnitatem inter 6—8 dies citat, alii

tres menses; nos eam nunquam diutius quam 8—14 dies grassari vidimus.

Quum primum ulcera gangraena nosoc. affecta purgata sunt, sanatio, ut ex singulis historiis morbi videmus, celeritate eximia procedit, ut saepe aegroti diffusa destructione mirarentur, quod eorum vulnera tam celeriter ad sanationem inclinarent.

Diagnosis. Postquam phaenomena supra commemorata in superficiebus vulnerum exposuimus, gangraenae nosoc. diagnosis difficilis esse non potest. Quam ob rem Demme iure confirmat: „difficultates, quas nonnulli auctores de diagnosi differentiali citaverunt, mihi valde exquisitae esse videntur. Mihi quidem nullus casus accidit, in quo chirurgus hac in re in dubio fuerit“[25]).

Si vulneris superficiei speciem consideramus, diagnosis gangraenae nosoc. vix dubia esse potest; nam vulneris superficiei indumentum luteolum sive ravum, quin etiam plumbeum, quod ita affixum est, ut validissimo quoque aquae radio ablui non possit, semper suspicionem ineuntis gangraenae nosoc. excitet necesse est. Accedit, ut intumefacto indumento destructio telarum vicinarum magis magisque procedat, ut vulneris margines simul diruantur atque ita vulnus crescat, formam circularem sive ovalem accipiat. Eodem modo Eisenmann ulcus oriens in typho traumatico formam circularem accipere confirmat [26]).

Haud minus odor foetidus ad diagnosin confirmandam confert; odor quidem est taediosus, sed, si observatores hunc odorem specificum nominant, nimium mihi contendisse videntur. Brugmans contendit, se odore aegrotum gangraena nosoc. affectum cognoscere; itemque Eisenmann odorem signum diagnosis confirmandae nominat, dicens, typhum traumaticum odorem specificum

---

25) Vid. Demme. p. 193.

26) Dr. Eisenmann, Wund- und Kinderbettfieber. p. 91.

fundere, ut animadvertatur, si loco spatioso unus modo typho traumatico affectus iaceat[27]).

Ad diagnosin confirmandam oedematosi, rubri, ichore infiltrati circuitus superficiei vulneris eiusque margines tumefacti, serrati aliquid valent; dolorem et irritabilitatem nervosam ad morbum apta citare, ut Eisenmann, mihi non verum videtur, quoniam dolor etiam in plurimis inflammationibus existere solet.

Magis autem valet id, quod ille contendit, typhum traumaticum contagiosissimum esse[28]). Nam, si apud unum vulneratum modo diagnosis gangraenae nosoc. ad verisimilitudinem inclinare videtur et si etiam apud alium hominem saucium vulnerum superficies eodem modo commutantur, de gangraena nosoc. agi certe contendi potest.

Quod Pitha gangraenae nosoc. epidemicam tribuit naturam, imprimis quod multi gangraena nosoc. affecti symptomata prae se tulerunt, quae illis cholerae simillima erant et diarrhoeae profusae aegrotorum vires terebant, etiam gangraenae nosoc. diagnosis in certo statuta videtur, si epidemiis ortis, cholera, typho, febri puerperali, dysenteria, diphtheritide faucium, commutationes vulnerum superficierum exsistunt.

Pathologica. Omnes auctores animadverterunt, quomodo indumentum supra dictum exortum sit ac creverit. Contendunt, hoc exsudatum pseudomembranosum non modo in ulcerum superficie impositum esse, sed etiam in omnia interstitia granulationum intrare iisque expulsis ac compressis necrosin granulationum partiumque vicinarum efficere. Similis processus etiam in membranis mucosis cernitur; membrana mucosa maxime hyperaemica aut livide picta est, in libera planitie aut in textu flava, caseosa, discissa exsudata insunt, aut membrana mucosa quam maxime cum massa decolore, vernicosa, nigra commutatur, quam si abtrudis membranam sor-

27) Vid. ibid.

28) Vid. Eisenmann. p. 91.

didam, rubram et facile sanguinem fundentem nudatam et crassam conspicis; submucosa et muscularis valde hyperaemica est et quam serosissime infiltrata.

Ollivier ob hanc similitudinem gangraenae nosoc. cum diphtheritide membranarum mucosarum summo iure diphtheritidem vulnerum superficiei nominat.

Cui recentes quoque spectatores assentiuntur, Pitha, Virchow, Pirogoff, qui ait: „omnes fere exploratores gangraenam nosoc. processum vulneris diphtheriticum iudicant. Cuius naturam primum in massa oriunda propria in vulneris superficiei, deinde in evolutione mortificationis et in dissolutione telarum suppositarum invenimus. Quam ob rem etiam anatomia pathologica gangraenae nosoc. isti cholerae-diphtheritidi, scarlatinosae, cruposae, dysentericae omnino par esse debuit“ [29]). Idem etiam revera ex obductionibus cadaverum cholera affectorum similitudines in membrana mucosa intestini crassi cum vulneris superficie gangraena nosoc. affecta invenit.

Qua cum cognitione gangraenae nosoc. auctoribus Pitha, Virchow origo aliarum formarum diphtheritidis, febris puerperalis, dysenteriae, diphtheritidis intestini etc. consentit.

Quamquam hoc processu multae variae telae paulatim magis magisque destructae sunt, tamen nihil proprii sub microscopio inventum est.

Demme quidem congregationem et proliferationem cellularum recentium et nucleorum, qui inter fibras telae coniunctivalis congregantur et in altum eiiciuntur, summi momenti esse iudicat [30]).

Quam sententiam Pirogoff non sequitur, interrogans: „Num id est aliquid naturae gangraenae nosocomialis proprium?“ [31]).

Enimvero hic processus etiam in aliis ulceribus observari potest.

---

29) Vid. Pirogoff. p. 1029.
30) Vid. Stromeyer. p. 189.
31) Vid. Pirogoff. p. 1030.

Quum nemo vulneratorum in nosocomio militari Deminensi moreretur, occasio nulla data erat commutationes organorum intestinorum animadvertendi.

Therapia. Ad sanandam vulneris superficiem gangraena nosoc. affectam multa et diversa remedia commendata sunt et interna et externa, quae tamen optimum successum non habebant. Quam ob rem hoc proverbium: quo plura remedia commendata, eo incertior therapia, hoc loco praecipue probatur.

Therapia in hoc morbo in duabus conditionibus manet: primum contra destructionem loci, tum contra symptomata universalia se vertere debet.

Quod quidem ad curationem universalem pertinet, multi auctores diversissimis remediis usi sunt et multis eiusmodi remediis etiam effectum specificum contra gangraenam nosoc. adscripserunt; exempli gratia Dussaussay Tartaro dep. Etiam alii putant applicatione rad. ipecac. gangraenam nosoc. retineri (coupiren) posse. Itaque praecipue in gastricis symptomatis, quae in talibus destructionibus superficiei vulneris retineri non poterant, emetica dabantur, quae subinde laxantia sequebantur.

Etiam sanguinis detractiones universales et locales factae sunt, hae autem maius detrimentum quam utilitatem praeberent; nam in novo vulnere, sicut in vulnere venaesectionis et ictibus hirudinum etiam nova infectio vel certe recidivum excitatur; remotis his omnibus, quod aegroti iactura sanguinis facta consumantur et anaemici fiant. Quam ob rem Pitha: „hoc“, inquit, „est tristissimum vitium dogmatismi, qui toties morbo auxiliatur“ [32]).

Optime igitur fit, ut curatio interna secundum certissimas tantum indicationes, qua symptomatis universalibus dantur, incipiatur.

Quum diarrhoeae accedunt, opium vel adstringentia,

32) Prager Vierteljahrsschrift. 1851. p. 98.

sicut acid. tannic., tribuenda sunt; in his casibus Tr. opii c. Nuce vomic. vel acid. tannic. c. op. pur. plane suffecerunt.

Si sitis exstitit, fervida et sicca lingua, acida anorganica adhibita et optimo successu data sunt. Si febris aucta et vires deminutae sunt, si aegroti faciem anaemicam ostenderunt, Chinae-Decocta acidis seu praeparatis ferruginosis immixta data sunt, quae medicamenta eventum optimum obtulerunt. Etsi China non specificum est, tamen Chinam (et quidem eius praeparata) tantum nocere nostris observationibus non probatum est.

Res omnium gravissima sane est, ut aegrotorum vires sustineantur; quam ob rem bona diaeta et tonica medicamenta respicienda sunt.

Si enim aegrotus imbecillus est, si vires deficiunt, incertissimum est, an futurum sit, ut etiam diuturnam et periculosam destructionem sustineat. Quam ob rem roborantes, faciles ad concoquendum sibi offerendi sunt, ut ova, lac, ius roborans etc., item vinum, quod, ut copiose daretur, in huius loci nosocomio equites ordinis St. Johannis begnissime curaverant, quam ob rem gavisi sumus quum videremus, omnes gangraena nosoc. affectos paullatim curatione roborante convalescere et hunc morbum illo loco finiri.

Quum destructio in casibus a nobis observatis nunquam ad ossa progrederetur, neque in difficultatem amputationis perficiendae adducti sumus, quae vulnere recenti nihil nisi novam infectionem excitasset et hanc ob rem aegrotum iam defatigatum multo certius ad mortem adduxisset. Quamvis amputationes a Larrey commendatae sint, tamen observatores recentiores, ut Pitha, nihil nisi exitus infaustos viderunt.

Praeter hanc universalem curationem omnes observatores magnum momentum in gangraenae nosoc. prophylaxi posuerunt, quam Pitha, quum gangraenam nosoc. magis epidemicum quam contagiosum morbum existimet, negligit dicens: „totam rem nihil aliud significare velle atque institutionem, quomodo homines ire necesse sit,

ut cruris fracturam caverent.“ Conditiones prophylacticas per se ipsas evidentes proponit, quae non negligendae sint, atque ideo in therapia describenda omnino non tractandae[33]).

In bello vero, quum loca apta desunt et hanc ob rem proxima quaeque domus maxima festinatione rebus maxime necessariis instruitur, tamen praecautiones non negligendae sunt. Quod etiam omnes medici militares recentiores, ut Stromeyer, Demme, Pirogoff magni momenti esse ducunt. Omnes confirmant, aegrotos gangraena nosoc. affectos statim e loco infecto esse deducendos in locum bene ventilatum vel in tentoria, recentissimo tempore valde commendata, quia aër ad aegrotos eorumque vulnera vim salubrem habet et quia aëris unda fluente foedi odores et miasmata e vulnere orientia tolluntur. Itaque etiam Pirogoff bello in Chersoneso Taurica gesto et in Caucaso, ut aegroti in tentoriis curarentur, instituit, quam institutionem optimum eventum habuisse vidit.

Nisi aegroti in tentoriis curari possunt, locis bene ventilatis, ut supra dictum est, utendum et die noctuque ventilandum est, quae etiam perfecimus hoc loco, quo in angustis et hilaribus cubiculis quatuor modo hoc morbo affecti concubuerunt.

Aegrotos non modo separandos, sed etiam ministros et medicos discernendos esse Pirogoff optime commendat; nisi enim statim manus et instrumenta purgantur, facile quoque, quia gangraena nosoc. auctore Stromeyer contagium fixum excitat, hoc modo morbus ille in alia vulnera deduci potest; porro Pirogoff medici vestitum portare contagium accusat et se ipsum vestitu contagium in alios transtulisse narrat. Ad verbum dicit: „ego ipse quidem hac ratione haud satis consideratus eram. Postea enim hunc contagii fontem cognovi. Aliquamdiu enim eodem vestitu indutus et pyaemicos aegrotos obligavi et pathologicas cadaverum sectiones et

33) Prager Vierteljahrsschrift 1851, p. 91.

omnes operationes in nosocomio meo et praxi privata perfeci. Vulnera omnibus fere operationibus factis novam faciem accipere animadverti. Nonnulli, in quibus operationes perfectae erant, etiam pyaemiae et erysipelati cum purulenta infiltratione succubuerunt. A domesticis meis advertere iussus odorem singularem, quem limbi manicarum huius vestis exhalabant, diu credere nolui me ipsum miasmata illa in alios transferre posse" [34]).

Ex his verbis observatoris recentis profecto quoque auctoris Delpech sententia, vestitu eius contagium in alios delatum esse, haud negligenda est. Quod a me ipso observatum esse, contendere possum; postquam enim vulneratum quendam (Müller I.) gangraena nosoc. affectum obligavi, ad alium vulneratum (Raschel III.) accessi, cuius leve vulnus in eo erat, ut iam ad sanationem rediret. Post aliquantum temporis hoc quoque vulnus gangraena nosoc. affectum est. Quamquam huius contagii causa in hac re poni potest, quod vulnerati eodem loco concubuerunt, tamen me huius infectionis autorem fuisse ipse existimo.

Proxime cum iis cautionibus curatio localis coniuncta est.

In hac agitur, ut venenum in vulnere affecto genitum quam celerrime educatur vel causticis remediis et ferro candenti deleatur. Itaque Pitha et Demme commendant crebram mutationem alligaturae, quum copioso ichore vulneris margines in magno circuitu subruantur et vulnus magis magisque augeatur. Effectus crebro mutandae alligaturae is est ut secretum purulentum, cum ichore mixtum quam celerrime removeatur, quo impediatur, quominus secretum in profundiores partes penetret et vim corrosivam et contagiosam extendat; quocum diligentissima vulneris purgatio coniugenda est. Massae necroticae forfice et volsella removendae sunt; omnes sinus aqua per clysterem eluendi sunt, ut ichor omni modo removeatur; indumentum illud pulposum superficiei vulneris quod vali-

34) Vid. Pirogoff, p. 23.

lissimo aquae radio ablui non potest, auctore Pitha magnis firmisque globis ex linteo discerpto factis celeriter deterendum est, quum hoc demum indumento remoto remedia topica proficere possint.

Blackadder ad eundem finem commendat lavationes cum Natro carbonico, quo remedio vulnus non solum purgetur, sed etiam massae tenaciter adhaerentes facile removeri possint.

Similia etiam Eisenmann contendit, pseudomembranam, vulnus tegentem, antea removendam esse, ut topica applicata in capillaritatem vulneris effectum habere possint[35].

Quam ob rem commendat solutionem Arg. nitr., (℈j ad ℥j), Pyrothonides s. Liqu. pyro-oleos. e panno vegetabili, Kreosot. in ol. terebinth. solutum.

Quum in tractatatione vulneris primum id intendendum est, ut venenum tollatur, omnes fere auctores primum vulnera remediis desinficientibus tractare coeperunt et tum demum, postquam ea remedia effectum non habuerunt et gangraena nosoc. magis magisque progressa est, caustica remedia attulerunt.

Remediorum desinficientium iam diu applicatum et commendatum est Oleum therebinth. aut solum aut cum Kreosoto coniunctum, carbo vegetabilis cum Opio et Myrrh., Pyrothonides supra commemoratum, acid. pyrolignos., quo remedio Pitha in nonnullis casibus certam curationem intrare vidit. Praeterea adhibitum est Camph. et vin. camph., quod etiam proximo bello bonum successum praebuit.

Remedia desinficientia nota erant: Chlorum, Jodum, Bromum, quae remedia hanc ob rem in gangraena nosoc. adhibentur. Ab Eisenmann Aqua chlorat. commendatur, Kali chloric. a Demme, qui in nosocomiis Italiae optimos successus huius remedii applicati vidit. Ex Demme observationibus bello Italico factis dubitari non

35) Eisenmann, Wundfieber, p. 96.

potest, quin effectus desinficiens Kali chlorici optimus fuerit. Quotidie bis in diversis concentrationibus illud remedium adhibitum est et applicatione facta dolores semper minores erant quam post alia remedia, et mox evanuerunt.

Praeterea Demme applicationem Tr. Jodi commendat, cuius effectum in urbe „Bern“ cognoverat et bello Italico bonos etiam eius succesus assecutus erat.

Demme etiam remedium desinficiens commemorat Coaltar (Goudron de huile, mixtura Calcariae sulph. et Lithanteracis), quo applicato odor gangraenosus iam paucas post horas evanuit et post nonnullos dies sepsis, ne latius progrederetur, impediebatur[36].

Recentissimo tempore etiam argilla acetic. a Burow velut desinficiens diligentissime commendata est.

Quibus ex remediis desinficientibus iam dictis et saepe commendatis nullum in nosocomio Demminensi adhibitum est; itaque eorum vis desinficiens non explorata est, quia in vulneribus gangraena nosoc. affectis Kali hypermanganicum, nuper tantopere commendatum, applicatum est in diversa concentratione (vulgo ℥jβ ad ℔j) secundum destructionem extensam, donec massae necroticae plane abtrusae essent. Ex adhibito illo remedio optimos successus exortos vidi, quum post octo dies massae recroticae removerentur et vulnere mutato etiam symptomata universalia vulneratorum meliora fierent.

Itaque pro experientia mea sententiis Exp. Posner[37] assentiri possum, qui dicit: „Externe applicatum Kali hypermang. velut desinficientis remedii effectum habet, quum liberato oxygenio exhalationes foetidas materiarum putridarum celeriter ac funditus deleat; simul vim salubrem habet in naturam eorum vulnerum et ulcerum superficierum, ex quibus materiae putridae secernuntur, quum secreti mali vis noxia tollatur et praeterea vis adstrin-

---

36) Demme, Milit. Chirurg. Studien, p. 197.
37) Dr. Posner, Arzneimittellehre, p. 105.

gens in ulceris superficie evocetur. Itaque Kali hypermang. in praxi adhibetur: linamentum vulnerum et ulcerum, quae pus malum et foetidum secernunt, affectionum gangraenosarum etc. Commodum hoc linamento partum non solum ad personas eo tractatas pertinet, sed etiam, ne aër in nosocomiis refertis aegrotis depravetur neve contagia et miasmata propagentur, impedit. Probabile igitur est, non solum applicationem Kali hypermang. fieri in ipsas superficies vulneris et ulceris, sed etiam solutiones eiusmodi in vasibus apertis ad corrigendam aërem conclavium poni."

Similem applicationem Kali hypermang. etiam Exp. Badstübner[38]) commendat, si epidemiae praevaleant sicut typhus, dysenteria, pyaemia, gangraena nosoc., in nosocomiis militaribus, quae sint referta vulneratis, vulneribus suppurantibus affectis, quum bonus aër remedium adiuvans ab eo auctore putetur.

Neque minus auctore Exp. Lex[39]) in diversis septicis et necroticis processibus, sicut in omnibus conditionibus, quae cum productis foetidis coniunctae sunt, probatum est. Qui, quum Kali hypermang. nimii pretii sit, Kali manganici usum commendat, quod aëre haud excluso in aqua solutum eiusdem aëris effectu mox in Kali hypermang. transire dicitur, liquore viridi paullatim rubescente.

Etiam Reveil Parisinus[40]) Kali hypermang. remedium causticum alterans et desinficiens in vulneribus diphtheritide affectis optimos effectus praebuisse idque apte adhiberi posse, ac certum in effectu et periculo vacuum in quaque dosi esse dicit, quum miasmata et venena celeriter et certo deleat, ita ut ne minimum quidem vestigium eorum restet. Qui effectus Kali hypermang. eo fieri videtur, quod facile dissolvi potest; si

---

38) Vid. Berliner Klinische Wochenschrift Nr. 23. 1866. p. 243.

39) Vid. Berliner Klinische Wochenschrift Nr. 2. 1866. p. 12.

40) Vid. Pharmaceutischer Kalender. 1866. Charité-Annalen von Dr. Fischer. t. XIII. Heft I.

enim cum telis organicis coniungitur, celeriter in acid. manganic. et tandem in Manganum commutatur; Kali hoc modo liberatum coniungitur cum acidis organicis, quae sepsi telarum exorta sunt, et tum demum magnam vim in vulnus gangraena nosoc. affectum exercere videtur.

Quo remedio, quod non satis commendari potest, saepissime usi sumus. Omnia vulnera gangraena nosoc. affecta quotidie quater vel sexies primum instrumento, cui nomen „irrigator" est, abluebantur, tum vulnus eiusque margines subruti solutione Kali hypermang. supra dicta aspergebantur, donec omnis ichor et odor foedus remotus esset; quo facto vulnera cum linteis discerptis eadem solutione satiatis alligabantur. Quae therapia tamdiu adhibita est, donec massis necroticis plane remotis superficies ulceris pura conspiciebatur, quae sicut vulnus simplex tractabatur et quidem linamento paribus partibus glycerin. pur. et aquae imbuto. Dolores hac tractatione effecti in prima tantum alligatura magni erant, ita ut vulnerati lamentarentur et suspirarent; sed massis paullatim solutis dolores evanuerunt et vulnerati inter alligaturam tranquilliores et patientiores facti sunt.

Sin in marginibus vulneris sinus, qui sub cutem latius progrediebantur, hic incisiones longae factae sunt; quod vulnus artificiale eodem modo quo reliqua pars vulneris tractabatur.

Quod remedium quum plane nobis sufficeret, nunquam caustica maiores aut minores dolores afferentia adhibuimus, quae a multis observatoribus commendata sunt, ut Hydrargyr. bichlorat. corros., quod intus et extrinsecus adhibitum optimo successu gaudens Pitha vidit. Neque magis Kali caust. et liqu. ferr. sesquichlor. adhibebatur, quod ultimum bello in Chersoneso Taurica gesto optimum se praebuit. Praeterea quoque zinc. chlorat. adhibebatur et Neudörfer mixtura 2 zinc. chlor., 1 antimon. chlor., $^1/_2$ Chloroform. c. pulv. Liquirit. ad syrupi consistentiam contritam commendat[41]).

---

41) Vid. Pirogoff, p. 1055.

Blackadder etiam solutiones arsen. adhibuit; hae autem facile resorptae e vulneris superficie symptomata toxica praebent et hanc ob rem periculosa designandae sunt.

Caustica acida et nitric. et sulph. commendata et adhibita esse apparet.

Quum in gangraena nosoc. id spectetur, ut venenum vulneris deleatur et dilatatio destructionis impediatur, veteres et recentes medici ultimo refugio saepissime ferro candente usi sunt.

Demme[42]) contendit, nullum agens tam certam alterationem superficiei vulneris adducere quam cauterium actuale, quamquam post applicationem iterum factam demum vulnus ad sanationem inclinare intelligebat.

Alii observatores ferro candente usi in difficultates inciderunt; Pirogoff affirmat, primo tactu vulneris cum ferro candente sanguinem effluentem comburi, quamobrem fieri, ut cauterium in profundiores partes penetrari non possit[43]).

Etiam Pitha, qui usum ferri candentis rem horribilem aestimat, confitetur, se in unico casu, quo ferrum candens adhibuerit, difficultatem perurendarum massarum pulposarum admiratum esse, quum in applicatione quamvis creberrima complurium magnorum et gravium ferrorum candentium vix dimidium pulpae dictae in escharam transformaretur[44]).

Si vulnus marginibus subrutis est circumdatum et multos sinus praebet, cauterisatio cum ferro candente incerta est, partim quod venenum in omnibus vulneris partibus delere non potest, partim quod eschara exorta fistulas et excavationes claudit, qua re gangraena nosoc. amplius se extendere potest, partim quod profunda invasione ferri candentis vulnus fit maximum, quod vitam facile in magnum discrimen ducere potest.

---

42) Demme, Milit. Chirurg. Studien, p. 198.

43) Pirogoff, Kriegschirurgie, p. 1053.

44) Prager Vierteljahrsschrift 1851, p. 96.

Quamobrem remedia fluida profecto magnam utilitatem praebent, quia iis omnes fistulae et excavationes certo elui possunt, ita ut contagium deleatur, et quia eorum usus non tam dolorosus est quam ferri candentis, quod etiam tum certam fiduciam sanationis nullo modo praestat.

Historia morbi I.

Anton. Müller, Saxo, 22 annos natus, in proelio apud Reginogradecium vulneratus d. 18. mens. Iulii e Berolino in nosocomium militare Demminense transportatus est. D. 19. eiusdem mensis exploratio facta ostendit canalem sclopetarium in sinistro femore et ictum sinistrum crus stringentem. Canalis sclopetarius per longitudinem sinistri femoris exorditur ex apertura in sinistra parte natium aliquantum post et supra trochanterem maiorem et in apertura, quae non longe supra fossam popliteam est sita, finem capit. Quae ultima apertura magna est, margines discissos, in profundioribus partibus necroticarum massas telarum praebet; ex canali sclopetario magna puris copia educitur. Dolores in regione trochanteris mai. adsunt, sed in trochantere ipso non inveniuntur. Motus in articulatione coxae et genu moderate impeditur. Plumbum in altitudinem surae infra fibulae capitulum in recto processu canalis sclopetarii supra descripti denuo penetravit ibique vulnus rotundum ictus stringentis intulit, quod bona suppuratione ulcus simplex factum est.

D. 23. Quamvis copiosissima suppuratio sequatur, sanatio non satis percipitur. Febris et status universalis disturbationes non adsunt.

D. 27. Vulneratum tractandum accepi. Vulnus, quod maius est vola manus, supra genu articulationem situm circuitus inflammatos ostendit; eius margines crassi et elati et serrati et longe subruti sunt. Quousque destructio sit progressa ex vulnere telis necroticis impleto aestimari non potest. Suppuratio copiosa et foetida. Tractatio constat purificando vulnere cum irrigatore,

aspergendo Kali hypermang., alligatura lintei Kali hypermang. irrigati. Vulneratus in aliud conclave transportatur.

D. 29. Nonnullae telarum massae opera volsellae et forficis removentur; plures musculorum fibrae conspiciuntur. Pulsus aucti, lingua tecta et diarrhoeae adsunt. Interne: ℞ Decoct. Chin. reg. (℥ij.) ℥v, acid. phosph. ʒij., Syrp. opiat. ℥j. S. omnes duas horas cochlear. Externe: obligatio cum Kali hypermang. et frigidis involutionibus.

D. 30. Impressione ex canali supra descripto non multum ichoris secerni potest. Vulnus magnum a massis telarum necroticis omnino se purgavit; fascia lata in vulneris apertura plane deleta, fasces mm. bicipitis et vasti ext. nudatae sunt. Tractatio constat interdiu contra ruborem inflammatum vulneris marginum frigidis cataplasmatis, noctu obligatione lintei Kali hypermang. sol. irrigati. Diarrhoea adhuc adest: ℞ Tr. thebaic. ʒβ., Extr. nuc. vom. ℈β. S. ter die 20 gtt. Vulneratus praesenti statu vulneris maxime est contentus.

D. 3. mens. Aug. Canalis sclopetarius plane conclusus est, vulnus plane purgatum ad sanationem se vertere incipit. Tractatio constat obligatione linteolorum carptorum Glycerino pur. satiatorum. In habitu universali nihil omnino alteratum est, appetitus cibi crevit.

D. 5. Vulnus magis magisque ad sanationem se vertens interdiu chamomill. fomentis, noctu linteis Glycerino pur. et aqua āā satiatis tractatum est et granulationes abunde exortae interdum arg. nitr. sol. circumlitae sunt. In habitu universali nihil omnino alteratum erat.

Haec tractatio usque ad diem 7. mens. Sept. adhibita est, quo tempore vulnus usque ad magnitudinem 4 grossorum coiit; cetera vulnera plane coierunt. Aegrotus ambulavit diu sine molestiis magnis, ut parentum rogatu domum dimitti posset.

Historia morbi II.

Joseph. Oberretter, 23 annos natus, ex oppido St. Josen (Salzburg) miles Austriacus, in proelio apud Reginogradecium a tergo in crus sinistrum vulneratus die 18. mens. Iulii e Berolino in nosocomium militare Demminense transportatus est, ubi exploratio die 19. facta canalem sclopetarium 6 Ctr. longum ostendit per musculos cruris sinistri externos. Introitus erat 4 Ctr. infra capitulum fibulae et exitus 3 Ctr. infra tibiae tuberositatem. Suppuratio erat magna, sensibilitas in circuitu vulneris aperturarum aucta, mobilitas autem in articulatione genu non impedita erat.

D. 23. In habitu universali nihil mutatum est.

D. 27. Aegrotum tractandum accepi. Dolores in regione epigastrica et ileo-coecali, appetitus cibi minutus, lingua obtecta, sitis adest. Itaque interne: ℞ acid. sulph. ʒj. ad ℥vj.

D. 28. Introitus margines inflammatos et tumefactos offert, circuitus livido est colore et fluctuationem ostendit, quam ob rem inciditur; posthac nigra massa necrotica se offert et destructio in profundum progreditur; suppuratio mala et foetida est., puls. 100., temp. 38,6.

D. 29. Impressione ichoris copia educitur. Ordinat. Acid. phosph. ʒj., Syrp. spl. ℥j. S. in potum.

mane puls. 92. temp. 37,6,
vesp. „ 96. „ 37,6.

D. 31. Cutis pons inter aperturas situs, gangraena affectus incisione discinditur.

D. 4. mens. Aug. Circuitus vulnerum sclopetariorum gangraena pulposa destructus est ab capitulo fibulae et a patella ad medium fere crus externum. Huius vulneris margines sunt crassi, tumefacti, elati; quasi a muribus arrosi videntur; crassae et necroticae massae, quibus totum vulnus expletur, nulla re nisi volsella et forfice caute amoveri possunt. Appetitus deest, sitis, dolor adest.

mane puls. 94. temp. 37,6,
vesp. „ 96. „ 37,6.

Tractatio constat purgando vulnere per irrigatorem, eluendo Kali hypermang. et obligando linteis Kali hypermang. satiatis.

D. 6. Massae necroticae paullatim removentur; quo facto mm. tibial. ant., extensor halluc. long., extens. digit. comm. long., peroneus long. plane nudantur. Appetitus adhuc deest.

mane puls. 92. temp. 37,3.
vesp. „ 96. „ 37,3.

Ordinatio: ℞ Decoct. Chin. reg. (e ℥ij.) ℥vj.
Syrp. cinnam. ℥j.
S. omnes duas horas cochleat.

D. 8. Vulnus plane purgatum est. Aegrotus ipse tranquillior et mitior est, neque amplius lamentatur in obligatione. Appetitus et somnus non desunt, febris deest. Ord. restat.

D. 10. Vulnus omnino purgatum die fomentis chamomill., noctu obligatione cum Glycerino et aqua āā tractatur. Suppuratio bona et modica. In vulnere purgando per irrigatorem irradiationes n. peron. superf. se praebent. Status universalis laudabilis. Ord. restat.

D. 12. Hodie haemorrhagia exigua ex granulationibus abunde ortis se praebuit, quae frigore sedatur.

D. 15. Vulnus granulationibus exorientibus quasi ante oculos ad sanitatem spectat. Irradiationes n. peron. superf. etiamnunc consistunt, ita ut vulneratus, dum aqua instillatur, instinctu proprio pollicem manus sinistrae infra vulnus in fibulam imprimat, ut dolores in pede ortos vitet. Appetitus bonus. Ob speciem anaemicam ordinatur:

℞ Tr. ferr. acet. Rademach.
Aq. dest.
Syrp. spl. āā ℥j.
Spirit. aeth. acet. ℈j.
MDS. quater die octavam partem cochlearis.

D. 21. Tractatur vulnus interdiu fomentis chamom., noctu linteolis carptis Glycerino satiatis; granulationes abunde exortae linuntur arg. nitr. sol. Status universalis non est turbatus.

D. 23. In vulneris margine inferiore interna parte fibulae se praebuit tumor parvus, livido colore affectus, fluctuans, qui compressus ichorem emittit. Incisione facta sordidae canae telarum massae apparent; quare hoc vulnus concentrata solutione Kali hypermang. tractatur.

D. 26. Granulationes affatim exortae vulneris magni bis quotidie arg. nitr. sol. linuntur; praeterea fomentis chamomill. tractantur. Etiam vulnus incisione factum se ad sanitatem vertit.

D. 31. Vulnus incisione factum plane tractatione adhibita sanatum est.

D. 3. Aug. Vulnus multo magis ad sanitatem inclinavit, ut vulneratus hodie primum lectum relinquere possit. Tractatio eadem.

D. 7. Vulnus in dies eminuitur, mobilitas cruris non est impedita, ut vulneratus baculo nisus ambulare possit. Aliae disturbationes non adsunt.

D. 8. Quum vulneris sanatio progressa sit, vulneratus in nosocomium Tanglimense dimissus est.

Historia morbi III.

Iohannes Raschel ex Hietzing apud Vindobonam 29 annos natus, miles Austriacus, in proelio apud Reginogradecium vulneratus d. 18. mens. Iul. in nosocomium Demminense transportatus est. Exploratio praeter vulnus in scapula dextra sclopetarium, ad sanationem se vertens, plagam crus dextrum in externa parte stringentem paullo supra malleolum ext. sitam ostendit. Vulneratus in conclave nosocomiale No. 18 haud procul a Müller supra commemorato delatus est.

D. 19. Bene suppurans, ad cicatricem tendens vulnus, 2″ longum et 1″ latum, non nisi ad cutem et textum cellulosum subcutaneum pertinet.

D. 23. Status universalis est bonus, vulnus ad sanationem tendit.

D. 27. Vulneratum tractandum accepi.

Suppuratio vulneris copiosa. Status universalis est bonus.

D. 31. Mane vulneris superficies subito mutata est; superficies luteolo, sordido, adhaerente indumento tecta est, quod validissimo aquae radio removeri non potest, ut suspicio gangraenae nosoc. existat.

Tractatio igitur constat diligenti ablutione cum irrigatore et adhibendo Kali hypermang. (ʒβ ad ℥vj).

D. 4. Aug. Vulneratus in aliud conclave transportatus est. Vulnus ab indumento supra dicto liberatur et rubram speciem ostendit.

D. 9. Internus vulneris angulus in priore margine tibiae est in optima sanatione; sed angulus vulneris externus margines lividos, subcaeruleos, tumefactos, elatos habet; quo presso deorsus foetidum pus effluit.

D. 10. Angulus vulneris externus incisione facta crescit, quo facto in profundo canae, sordidae massae se praebent. Tractatio constat vulnere purgando irrigatore, Kali hypermang. infundendo, linamento Kali hypermang. sol. satiato. Quomodo vulneratus tractatus clamorem edit magnum et dolore excitatus brachiis firme in lectulo nititur.

D. 11. Incisio etiam secundum fibulam fieri debuit, quo facto ichor affatim effluit. Tractatio restat.

D. 16. Vulnus pressum nullum ichorem effundit, omnino purum est et ad cicatricem inclinat. Status universalis bonus.

D. 21. Status idem.

D. 27. Vulnus in dies magis minuitur granulationibus affatim crescentibus, quae lapide inf. tractantur. Praeterea fomenta chamomill. interdiu et linamenta in glycerino et aqua āā imbuta noctu adhibentur.

D. 31. Vulnus ad plenam sanitatem perducitur; vulneratus multum ambulat.

Status universalis optimus.

D. 4. Sept. Raschel plane sanatus domum dimittitur.

Historia morbi IV.

Carol. Helzel, 26 annos natus, ex vico Steinschoenau apud urbem Leibmeritz vulneratus in proelio apud Reginogradecium die 15. mens. Iul. in nosocomium Demminense venit, ubi exploratio canalem sclopetarium per musculos femoris dextri externos obtulit. Introitus erat circ. in medio anterioris externae superficiei femoris exitus paullo altior in medio posterioris. Utraque apertura rotunda et profundissima ulcera faciunt, quae, quamvis completa sanis granulationibus per canalem exiguam copiam secreti sanguinolenti emittunt. Mobilitas in genu articulatione vitiosa; status universalis bonus.

D. 23. suppuratio est copiosa.

D. 26. Vulneratum tractandum accepi.

Exitus canalis sclopetarii est sanus; suppuratio in canali ipso permagna; introitu plurimum puris mali, foetidi, vestimento militari mixti emittitur.

D. 28. Status idem. In sclopetarium canalem vin. camph. iniectum est et in vulneris superficie plumasseolae vin. camph. imbutae positae sunt. Status universalis bonus.

D. 1. Aug. Per exitum, qui iam erat sanatus, pus nunc perrumpit. Ad canalem aperiendum spongia compr. imponitur. Vulneratus de doloribus permagnis queritur.

D. 4. Vulneratus laborat febri, pulso aucto, temperatura magna, lingua valde obtecta, siti maxima.

Ord. ℞ Acid. sulph. ʒj
syrp. spl. ℥j
S. in potum.

D. 5. Hodie infra exitum incisio $3\frac{1}{2}$ Cm. longa fit, quo facto multum puris emittitur. Vulneratus vespere aliquanto melius se habet quam die, quo doloribus capitis, temperatura magna, siti maxima laborat. Contra obstructionem ol. Ricin. praebetur.

D. 6. Die in vulnere cataplasmata seminis lini imponuntur, noctu hydropathicae involutiones adhibentur et frigida cataplasmata in capite.

D 7. Vulneratus speciem pallidam et anaemicam praebet: dolores capitis desunt. Puris copia emittitur foramine sclopetario et aperturis incisionis. Apertura sclopetaria anterior gangraenosa fit; quare vulnus cum Kali hypermang. eluitur et linamento Kali hypermang. imbuto obligatum est.

Ord. ℞ Decoct. cort. Chin. reg. (ʒij) ℥v
syrp. cinnam. ℥β
MDS. duas horas cochlear.

D. 8. Incisionis apertura usque ad aperturam sclopetariam posteriorem dilatatur. Cute discissa m. biceps femoris discolor et indumento cano, sordido, pulposo obtectus videtur. Apertura quoque sclopetaria anterior sursum et deorsum dilatatur. Adhibetur Kali hypermang. Vulneratus de summo catarrho bronchiali queritur, sputum et tussim iam habuisse dicit, tum quum receptus esset. Igitur interne ordinatur:

℞ Decoct. rad. Seneg. (e ʒij) ℥v
Ammon. hydrochlorat. ʒj
Syrp. spl. ℥β
MDS duas horas cochlear.

D. 9. Vulneris tractatio eadem est. Vulneratus languidus et debilis est; catarrhus bronchialis crevit, tussis et sputa aucta sunt.

D. 10. Vulnerati status peior fit. Noctu interdum deliria intrant; vulneris dolores non adsunt; indumenta cana adhaerentia difficulter demoventur; granulationes nullae sunt; musculorum alvi sunt isolatae. Tractatio eadem.

D. 12. Status idem. Aegrotus bono et valido nutrimento fruitur.

D. 13. In disquisitione physica organorum respirationis in postica thoracis parte utraque per totos pulmones attenuatio reperitur; auscultatio crepitationem, quae „kleinblasig" vocatur, sibilationem et fremitum per totos pulmones praebet.

D. 14. Aegrotus in dies collabitur; divini verbi magister Koch optime de vulneratis meritus anxium con-

solari conabatur; sensorium interdum obscuratum est. Ambo pulmones omnino esse infiltrati videntur. Febris adest et cordis pulsus aucti. Vulnus etiamnunc nondum purgatur, quamvis Kali hypermang. diligentissime adhibeatur. Interne ordinatur:

℞ Decoct rad. Seneg. e ʒij ℥vj
Inf.
Fol. digital. grxv
Syrp. spl. ℥β

MDS. omnes binas horas cochlear.

D 16. Aegrotus obstructionibus laborat, quare ordin. ℞ Pulv. Glycyrrh. comp. ℥j.

S. mane et vespere lingula una.

D. 17. Gangraena quotidie magis progreditur; margines se praebent velut adesi ac colore livido, subcaeruleo tincti. Aegroti vires valido nutrimento quam maxime conservantur.

Usque ad d. 21. 8. Status idem.

D. 22. Demarcatio vulneris marginum gangraenosorum existit; massae necroticae detruduntur, vulnus purgatur; aegroti status multo est melior quam antea, sed sudores profusi adsunt et defaecationes per Pulv. Glycyrrh. comp. adiuvandae sunt.

Decubitus in osse sacro et trochantere mai. sinist. exortus aqua saturnina tractatur.

D. 24. Aegroti statum esse meliorem elucet. Pulsus et temperatura remissa sunt.

D. 25. Per totam vulneris superficiem puram granulationes explicantur. Aegrotus in balneo pleno ponitur.

D. 26. Aegroti status in dies fit melior. Contra febrim ordinatur Inf. digital. (℈j) ℥vj. puls. 108, temp. 38,2.

D. 27. Sudores non amplius exoriuntur; tussis et sputa sunt modica.

	puls.	100	temp.	38,2
D. 28.	„	100	„	37,8
D. 29.	„	92	„	37,4
D. 30.	„	96	„	37,3

D. 31.	mane	puls.	100	temp.	37,3
	vesp.	„	96	„	37,3.
D. 1. Sept.	mane	„	84	„	36,8
	vesp.	„	96	„	37,2.
D. 2.	mane	„	88	„	37,0
	vesp.	„	92	„	36,8.
D. 3.	mane	„	84	„	36,8
	vesp.	„	100	„	37,1.
D. 4.	mane	„	80	„	36,8
	vesp.	„	92	„	37,5.
D. 5.	mane	„	76	„	37,0
	vesp.	„	92	„	37,3.
D. 6.	mane	„	80	„	37,0
	vesp.	„	82	„	37,2.
D. 7.	mane	„	84	„	37,4
	vesp.	„	88	„	37,2.

Aegroti status inde magis magisque melior factus est; tractatio vulnere accurate purgando, valido nutrimento, balneis constat. Hodie catarrhus bronchialis fere omnino deest.

D. 8.	mane	puls.	88	temp.	37,0
	vesp.	„	96	„	37,4.
D. 9.		„	84	„	37,1.

Status universalis optimus est. Aegrotus conatur baculis innisus ambulare, quod non succedit ob magnam imbecillitatem.

D. 10.	mane	puls.	76	temp.	37,2
	vesp.	„	92	„	37,5.

Aegrotus in balneo pleno imponitur.

D. 11.	mane	puls.	80	„	37,3
	vesp.	„	92	„	37,2.

Aegrotus bene valet. Vulnus ad cicatricem tendit.

D. 12.	mane	puls.	84	temp.	37,0
	vesp.	„	88	„	37,2.
D. 13.	mane	„	88	„	37,5
	vesp.	„	88	„	37,5.
D. 14.	mane	„	96	„	37,0
	vesp.	„	88	„	37,2.

Pus bonum et laudabile. Excavatio inter mm. bicipit. et vast. ext. granulationibus expleri incipit. Vulnus anterius retrahitur et ad cicatricem inclinat.

D. 21. Aegrotus optime se habet, bono appetitu et bona facie est. Decubitus in osse sacro et trochantere mai. sin. plane sanatus est. Excavatio inter musculos supra nominatos praeter parvum foramen granulationibus conclusa est. Aegrotus duobus baculis innixus in conclavi ambulare potest, alimentum validum, ova, vinum, carnem, accipit et altero quoque die balneum plenum.

D. 22. Nosocomio soluto in nosocomium perpetuum militare urbis Demmin dimittitur, ex quo aegrotum reconvalescentem domum transportatum esse audivi

Historia morbi V.

Anton. Fritsch, 23 annos natus e Bohemia in proelio apud Gitschin vulneratus die 15. mens. Aug. in nosocomium Demminense translatus est, ubi inspectio canalem sclopetarium 2″ infra genu dextrum praebuit.

D. 16. Aperturae sclopetariae habent fere eandem altitudinem quam fibulae capitulum. Telum, iam Berolini frustra quaesitum, nondum remotum est.

D. 21. Vulnus partim est conclusum; ex parva apertura crassum et gilvum pus, imprimis tibiae fine superiori presso, emittitur. Therapia constat linteolis carptis Glycerino imbutis.

D. 22. Hodie duae incisiones factae sunt, una deorsus, altera introrsus. Specillo ab externa et inferiore parte introrsus et sursum inducto res dura animadvertitur, telum, quod immobiliter et firme in substantia tibiae superioris partis penes fibulae capitulum introrsus et adversus infixum est. Telum sibi ipsi permittitur, ut suppuratione solutius in osse fiat. Ossis pars exigua e vulnere remota est.

D. 23. Nigrae, sordidae massae in vulnere videntur. Kali hypermang. infusum est, involutio hydropathica adhibita.

D. 25. E vulnere multum puris effunditur; aegrotus capitis dolorem et sitim conquestus est; accipit igitur limonadam et

℞ Inf. rad. calam. e ℨij ℥vj
Acid. sulph. ʒβ
Syrp. spl. ℥β
MDS. altera quaque hora cochlear.

D. 26. Status universalis aliquantum turbatus est; capitis dolores quidem desunt, sed appetitus inopia et pulsus est auctus.

D. 27. Vulneratus queritur dolores in dextra thoracis parte, imprimis in respirando; tussis et sputa tincta adsunt. In auscultatione dextrae superioris partis inspiratio imminuta auditur; percussio dextri superioris pulmonis lobi sonum obtusum praebet. Horripilationes non adsunt. Puls. 112, temp. 38,6.

D. 28. Aegrotus frigida cataplasmata in pectus accipit et interne Inf. digital. ʒj ℥vj. puls. 112, temp. 38,8.

D. 29. Frigida cataplasmata et Digitalis continuantur; praeterea parti thoracis dextrae Iodglycerinum inducitur; sputa copiosa et fusca sunt, tussis adest. Diagnosis in pleuro-pneumonia statuitur. puls. 104, temp. 38,6.

D. 30. Multum tussis, sputa crocea; status universalis malus. Thoraci Tr. Iodi penicillo inducitur, interne ordinatur ℞ Inf. fol. digital. e ʒj ℥vj
Natr. nitr. ʒij
MDS. omnes binas horas cochlear.

Adversus tussim Morph. acet. gr. ij
Aq. amygd. amar. ℨiij
MDS. ter die 15 gtt.

Vespere 12 cucurbitae dextro pectori imponuntur.

mane puls. 100 temp. 39,0
vesp. „ 112 „ 39,8.

D. 31. Aegrotus melius se habet, per noctem valde sudavit. Ad vesperem tussis aucta. E vulnere multum puris effunditur.

mane puls. 104 temp. 38,8
vesp. „ 108 „ 40,3.

D. 1. Sept. Altenuatio in dextra parte a costa 2 ad costam 5 pertinet; respiratio minuta, strepitus magnus auditur. Sudor adest.

mane puls. 92 temp. 38,4
vesp. „ 108 „ 39,7.

D. 2. Status peior est quam heri, praecipue post meridiem; vespere rursus 12 cucurbitae.

mane puls. 100 temp. 39,2
vesp. „ 108 „ 39,7.

D. 3. Aegrotus aliquanto melius valet, siti cruciatur, quamobrem Acid. sulph. dil. ʒj
Syrp. spl. ℥j in potum.

Praeterea ℞ Decoct. rad. Seneg. e ʒij ℥vj
Inf. fol. digital. gr. xv
Syrp. spl. ℥β
MDS. binas horas cochlear.

Sputa adhuc sanguinolenta.

mane puls. 100 temp. 38,8
vesp. „ 92 „ 39,0.
D. 4. mane „ 88 „ 38,0
vesp. „ 92 „ 39,4.
D. 5. mane „ 84 „ 38,4
vesp. „ 88 „ 38,5.

D. 6. Digitalis intermittitur et datur Decoct. Seneg. c. Liqu. ammon. anis.

mane puls. 96 temp. 37,7
vesp. „ 90 „ 38,8.

D. 7. Aegrotus gravi tussi cruciatur.

mane puls. 80 temp. 37,4
vesp. „ 80 „ 38,5.

D. 8. Aegrotus aliquanto melius se habet, minus tussi cruciatur, febri plane caret.

mane puls. 70 temp. 37,5
vesp. „ 80 „ 38,2.
D. 9. mane „ 76 „ 37,5
vesp. „ 88 „ 39,1.
D. 10. mane „ 80 „ 38,4
vesp. „ 100 „ 39,6.

Febris, appetitus inopia, sitis aucta. Thoraci penicillo Tr. Iod. inducitur et calida fomenta imponuntur. Interne Inf. digital.

D. 11.	mane	puls.	96	temp.	39,0
	vesp.	„	104	„	39,6.
D. 12.	mane	„	104	„	40,0
	vesp.	„	88	„	38,2.
D. 13.	mane	„	96	„	38,8
	vesp.	„	112	„	38,8.

Vulneris circuitus est livido colore, margines intumefacti, late subruti; massae necroticae validissimo aquae radio difficulter removeri possunt; quare Kali hypermang. infunditur et linamenta Kali hypermang. perfusa imponuntur.

D. 14.	mane	puls.	96	temp.	38,5
	vesp.	„	108	„	40,3.
D. 15.	mane	„	92	„	38,8
	vesp.	„	96	„	39,9.

Vulneris gangraena in circuitu magis magisque progreditur, margines sublimes, inflammatione rubri, veluti abrosi; massae adhuc non detruduntur. Therapia eadem. Interne Chin. sulph.

Ferr. hydrog. red. āā gr. v

D. 16.	mane	puls.	96	temp.	39,0,
	vesp.	„	100	„	39,8.
D. 17.	mane	„	88	„	37,8,
	vesp.	„	100	„	38,8.

Aegrotus pallidissimam speciem praebet.

D. 18.	mane	puls.	96	temp.	39,3,
	vesp.	„	104	„	39,2.

Interdum diliria existunt. Gangraena vulneris progressa, ita ut duorum thalerorum magnitudinem habeat. Kali hypermang. iterum diligenter adhibetur, obligatio crebro mutatur.

D. 19.	mane	puls.	96	temp.	39,0,
	vesp.	„	104	„	40,0.

Turbationes sensorii adhuc animadvertuntur. Interne Inf. digital.

D. 20. mane puls. 104 temp. 38,8,
vesp. „ 100 „ 39,2.

Nocte e vulnere haemorrhagia, aegroti lapsu in conclavi effecta, quum delirio captus lectulum reliquisset. Vulnus Kali hypermang. adhibito se purgare incipit.

D. 21. mane puls. 96 temp. 37,0.
vesp. „ 100 „ 39,3.

Aegrotus est adhuc sollicitissimus et multum insanit. Massae canae, nigrae paullatim detruduntur. Introrsus a vulnere rubor phlegmonosus animadvertitur, dolores fere nullius momenti sunt. Aegrotus mane in tepidum balneum plenum fertur et aqua frigida perfunditur, quo facto melius se habet. Meridie somnus eum capit. Vesperi est rursus febris gravior, quam ob rem Digitalis iterum adhibetur.

D. 22. Nosocomio sublato aegrotum nosocomio perpetuo militari curandum tradi necesse fuit.

Captivis permutatis aegrotum domum transportatum esse audivi.

Historia morbi VI.

Johannes Simko, 31 annos natus, miles Austriacus in proelio apud Reginogradecium vulneratus die 11. mens. Jul. in nosocomium Demminense missus est, quo loco exploratio canalem sclopetarium per femur dextr. praebuit.

D. 12. Canalis sclopetarius est in parte interna femoris dextr., in inferiore tertia parte adversus incipiens, in posteriore femoris superficie desinens. Inflammatio haud exigua est, in canali sclopetario suppuratio est ichorosa.

D. 21. Canalis sclop. consolidare incipit, postquam suppuratio bonam et modicam faciem suscepit.

D. 23. Sanatio progreditur.

D. 28. Vulneratum tractandum accepi. Granulationes abunde exortae arg. nitr. tractantur.

D. 3. Aug. Canalis sclop. circuitus inflammatione

st ruber factus, quae inflammatio usque ad diem 6. cres-
it, quamvis frigus adhibitum sit.

D. 8. Discolor, ichorosum pus secernitur; secundum emoris latus internum incisio fit, quo facto puris copia ffunditur.

D. 12. Vulneris margines multum inter se distant, unt sinuosissimi, iniquissimi, sordido indumento obtecti, naxime sensibiles. Quam ob rem Kali hypermang. crebro adhibetur.

D. 14. Fundus vulneris telis mortificatis et materia ordida et pulposa alte est tectum.

D. 17. Massae necroticae solvi incipiunt.

D. 19. Vulnus speciem bonam accipit; tractatio usque ad diem 5. Sept. vicissim cataplasmatis aquae tepidae et chamomill. constat. Pus bonum et laudabile, granulationibus vulnus abundat.

D. 6. Contra febrim exortam aegroto datur

Inf. digital. ʒj ℥vj. Puls. 112, temp. 39,1.

D. 7. Contra diarrhoeam vespera hesterna exortam egrotus accipit: ℞ Acid. tannic. grjv
op. pur. gr¼

uibus rebus aegrotus usus diarrhoea liberatus est.

D. 8. Aegrotus aliquanto melius se habet. Vulnus, quod thaleri unius magnitudinem habet, satis bonam speciem praebet.

	mane	puls.	104	temp.	39,2,
	vesp.	„	108	„	39,7.
D. 9.	mane	„	92	„	38,7,
	vesp.	„	100	„	39,3.
D. 10.	mane	„	84	„	37,5,
	vesp.	„	84	„	37,5.
D. 11.	mane	„	80	„	36,3.

D. 13. Vulneris margo externus plane ad cicatricem pervenit, et granulationes affatim exortae arg. nitr. tractantur. In duobus lateribus partium thoracis posterioris inferiorum inspiratio acuta adest. Pulsus et temperatura sunt normales.

D. 19. Vulneris sanatio progreditur. Febris fere

abest, appetitus est laudandus, ut status universali aegroti bonus nominandus sit.

D. 22. E vulneris superficie sanationem imminere elucet; granulationes abunde exortae lapide inf. summa parte tractantur. Suppuratio est moderata et bona. Status universalis disturbationes non amplius adsunt, ut vulneratus hodie reconvalescens in nosocomium militare perpetuum dimittatur.

Historia morbi VII.

Mathias Galo, 24 annos natus e Biberkae regione in proelio apud Gitschin vulneratus die 18. mens. Jul. in nosocomium Demminense venit, ubi disquisitio canalem sclopetarium inter m. bicipitem femoris et mm. profundos praebuit.

D. 19. Canalis sclop. per musculos posticos femoris sinistr. penetrat introitu in superficie interna et exitu in externa sito, fere 3″ inter se amoti. Canalis non conclusus aperturis ambabus pus rubre tinctum secernit. Status universalis laudabilis est. Usque ad diem 3. Aug. vulnerum commutatio nulla animadvertitur.

D. 4. Apertura introitus granulationibus luxuriosis quae lapide modificato tractantur, completa est.

D. 5. Granulationis nigre sordidum tegumentum praebent; suppuratio est maxime exigua et foetida, vulnus ipsum dolorosum.

D. 10. Inflammatio in circuitu introitus exorta frigidis cataplasmatis tractatur.

D. 12. Inflammatio est aucta. Vulnus ipsum malam speciem praebet et lividos, tumidos, elatos margines habet, ut suspicio gangraenae nosoc. comprobetur.

D. 13. Liquor ichorosus secernitur; gangraena crescit

D. 14. Incisio in longitudinem fit et vulnus, cui Kal. hypermang. infunditur, alligatur.

D. 16. Suppuratio est copiosa, gravissimi dolores in tactu vulneris.

D. 19. Dolores intermittunt; vulnus accipit faciem meliorem, quae proximis octo diebus melior fit.

D. 27. Vulneris tractatio vicissim constat aquae ·pidae et chamom. cataplasmatis.

D. 31. Nonnullae partes arg. nitr. sol. tractantur.

D. 7. sept. Sanatio et cicatrix in vulneris marginibus .itium capit, ita ut vulneratus d. 8. in nosocomium Tanglimense" dimitti possit.

Historia morbi VIII.

Anton. Berting, 24 ann. nat. e vico Piove aqud ataviam in proelio apud Reginogradecium vulneratus ie 15. mens. Iul. in nosocomium Demminense missus st, ubi inquisitio canalem sclop. 4 cm. longum per femur n. $1^1/_2''$ supra patellam penetrantem invenit.

D. 16. Aperturae sclopetariae, 3″ inter se remotae t in eadem altitudine sitae sunt simplicia modo et bene ranulantia ulcera cum marginibus iam contractis. Status niversalis est bonus.

D. 27. Vulneratus tractandus a nobis accipitur. 'ulneris superficies externa compressa fuscum et foetidum ·horem secernit, dum superficies interna fere est sana.

D. 2. Aug. Vulnus compressum etiamnunc pus crasum secernit. Obligatio compressiva.

D. 6. In circuitu externae superficiei vulneris tumor hlegmonosus exoritur, vulneratus vehementes dolores entit. Tractatio: cataplasmata semin. lini.

D. 7. In vulnere profundo canae, sordidae, nigrae ıassae existunt, quae detruduntur, granulationes exorintes non animadvertuntur; m. vast. ext. fascia privatus lane nudatus est, sed discolore luteolo indumento obectus. Kali hypermang. infunditur et lintei discerpti in o imbuti imponuntur.

D. 8. Vulneris margines sunt lividi, sordidi et alti; ıfra cutem in vulneris circuitu sunt sinus; pus et dicolorum et foetidum; tumor phlegmonosus etiamnunc dest. Vesperi vulneris dilatatio sursum et deorsum fit, ua musculus decolor conspicitur. Tractatio: vulnus Kali hypermang. purgatur, imponitur linamentum Kali ypermang. arrigatum.

D. 9. Vulnus se purgat a partibus necroticis Status universalis fere bonus est nominandus.

D. 12. Vulnus fere purum est; nonnullae partes etiamnunc indumento lardoso affectae sunt. Tractatio eadem.

D. 29. In vulneris angulo inferiore usque ad 1″ infra illum pars rubra et fluctuans conspicitur, quae pressa pus crassum secernit. Quamobrem inciditur atque cutis usque ad vulneris angulum inferiorem vulneris veteris scinditur. Tractatio Kali hypermang. fortiter adhibito constat.

D. 30. E vulneris parte inferiore puris plurimum effunditur. In osse sacro conspicitur decubitus, qui aq. Plumb. curatur.

D. 3. Sept. Vulnus est plane purgatum; ubique pus bonum et granulationes bonae apparent. Involutiones hydropathicae adhibentur.

D. 15. Vulnus tendit ad cicatricem. Aegrotus uno baculo nixus ambulat.

D. 22. Sanatio bene progressa, ita ut vulneratus reconvalescens in nosocium perpetuum dimitti possit.

Historia morbi IX.

Dominicus Perossolli, 25 ann. nat. Rovigensis in proelio apud Reginogradecium vulneratus die 12. mens. Iul. in nosocium Demminense pervenit, ubi disquisitio canalem sclopetarium per femur sin. supra genu articulationem praebuit.

D. 13. Introitus supra condylum internum ossis femoris est, exitus tenet eandem altitudinem in femoris superficie posteriore supra fossam popliteam. Motus in genus articulatione nullo paene modo impeditus, os non laesum.

D. 26. Vulneratus tractandus a nobis accipitur. In canali sclopetario suppuratio est satis copiosa, neque bona qualitate. Ambo vulnera linteolis carptis vino

camph. satiatis obteguntur. Dolores haud vehementes sunt.

D. 28. Sub vesperum levis febris apparuit cum vulneris doloribus coniuncta. Extremitas velatur alligatura, quam nos dicimus „Watte.“ Ordinatur:

℞ Acid. sulf. dil. ʒj.
Syrp. spl. ℥j.
MDS. in potum.

D. 29. Aegroti valetudo est melior, dolores sunt minuti, appetitus bonus.

D. 4. Aug. Supra apertum atque etiamtum magnam puris copiam secernens foramen sclopetarium abscessus est exortus. Itaque in specillo cavo fere 8 Cm. inducto inciditur et abscessus secernitur. Tractatio constat frigidis involutionibus.

D. 6. Vulneratus satis bene se habet.

D. 8. Suppuratio etiamnunc copiosa est; pus fossam popliteam subruisse atque inter musculos et fascias posticas sedem cepisse videtur. Superficies vulneris sordido luteolo indumento obtecta, marginis inflammatione rubri et elati. Fortiter Kali hypermang. adhibetur.

D. 10. Vulnus etiamnunc albido, cano indumento obtectum Kali hypermang. sol. tractatur. Vulneratus levi febri affectus est.

D. 12. Aegroti valetudo est melior. Vulnus se purgare et partes necroticae detrudi inceperunt. Diarrhoea adest, quare ℞ Tr. thebaic. ℥β.
Extr. nuc vom. gr. x.
MDS. ter die xv gtt.

Praetera syrp. amygdal. in potum.

D. 20. Vulnus iam plane se purgavit, omnes telarum partes necrotiae sunt detrusae. Vulnus ipsum pulchrum et rubrum colorem praebet et granulationes explicantur. Status universalis est bonus.

D. 30. Vulnus proximo tempore sanatum iri apparet; fossae popliteae cavum granulationes explent; vulneris margines ad cicatricem perveniunt. Tractatio ab hoc

tempore constat imponendo linamento Glycerino puro et aqua āā irrigato et simplice alligatura.

D. 3. Sept. Vulneratus extremitatem inferiorem sin. extendere potest et currere conatur, quod ei baculi auxilio prospere evenit. Vulneratus nonnullis balneis usus optime se habet, ut fere ad integrum restitutus videri possit.

VITA.

Natus sum ego Robertus Schoeppe, Bregensis, Idibus Septembribus anni h. s. XXXVII patre Francisco, quem mihi praematura morte ereptum lugeo, matre Maria, e gente Iokisch, quam adhuc superstitem pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Bregense per annos septem frequentavi. Tum me contuli ad gymnasium Olsnense, quod tum florebat auspiciis beati Dr. Silber. Annis duobus in hoc gymnasio peractis, maturitatis testimonium nactus auctumno anni LXII almam literarum universitatem Gryphiswaldensem petii, ubi ab Ill. Vogt, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Bardeleben, t. t. decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis nomen rite professus sum.

Per octo semestria audivi disserentes:

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia; de anatomia organorum sensuum; de physiologia experimentali; de encyclopaedia et methodologia medica. Idem dux mihi fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi et in anatomia microscopica.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia; de anatomia comparata; devi osteologia; de historia microscopii.

Ill. Münter: de zoologia; de botanice; eundem secutus sum in exercitationibus botanicis et zoologicis.

Exp. Landois: de corporis humani evolutionis historia.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica et organica; de capitibus electis artis chemiae. Idem dux mihi fuit in exercitationibus analyticis.

Cel. Schwanert: de chemia pharmaceutica.

Ill. Hünefeld: de geognosia et geologia.

Exp. Hertz: de anatomia microscopica.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali; eundem ducem habui in cursu anatomico-pathologico.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Ill. Laurer: de materia medica; de arte formulas medicaminum rite concinnandi; de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali; de nervorum morbis.

Exp. Krabler: de auscultatione et percussione; repetitorium de materia medica; de exanthematis acutis; de infantum morbis.

Exp. Heineke: de syphilide; de morbis cutis; de fracturis et luxationibus; de morbis abdominis chirurgicis; de anatomia chirurgica.

Exp. Bengelsdorff: de nutrimentis.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; idem dux mihi fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis et in diagnosi affectionum oculorum.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de politia medica.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali; de morbis renum; de psychiatria; de auscultatione et percussione. Idem dux mihi fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae; de morbis mulierum et infantum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

III. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali; de akiurgia; de morbis chirurgicis thoracis; de capitibus electis chirurgiae. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

THESES.

I.

In therapia delirii trementis laxantia non sunt negligenda.

II.

Versio in caput casibus idoneis versioni in pedes praeferenda est.

III.

In necrosi phosphorica resectio ossium vitanda est

IV.

Kali hypermanganicum sufficit ad curandam gangraenam nosocomialem.